



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati Caesarei, Pars Lyrica

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

Mercvrius Pro Cadvceo Eloqventiæ Symbolo. aduersus Iyram Apollinis.
Ode XIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13378

104 IAC. ALB. GHIBBESII
Tantum prodit . Erit tui ,
(Si verè loquimur Castalius chorus)
Nullo dissimilis die ;
Neruosus magè, si longa teret dies .

MERCURIUS PRO CADUCEO
ELOQVENTIAE SYMBOLO .

aduersus lyram Apollinis .

ODE XIX.

S Emperne aut rigidam Palladis ægida ,
Aut thorace Deum cinctum adamantino ,
Ignesue arma Iouis dulcibus accines
Euterpe, citharæ modis ?
Quin nostrum potius pectine virgulam
Cantas AEolio ? quam neque Palladis ,
Nec dura Odrysijs spicula Marspitris ,
Nec currus rapidi Iouis
Exarmet trifidæ cuspidis impetu ;
Obstantes solitam fulminis obices ,
Hostilesque globos rumpere fortius
Raucorum igne tonitruum .
Hæc lætis animas sedibus inuehit ,
Et vanas cohibet Ditis imagines ,
Exilemque domum : grata nigræ Stygis ,
Cœli gratior incolis .
Mittit temporibus somnia languidis ,
Cum Titan liquido mergitur æquore ;
Demit luminibus somnia pallidis ,
Lætum cum reuehit diem .
Hæc pennâ nebulas præpete diuidit ,
Hæc Nerei scopulos, & mare turgidum
Substernit, latebris claudere gestiens
Infamis genus AEoli .
Incumbat pelago parcere nauibus
Indoctus Boreas, mox geminus caput

Ex

Expromet roseo Castor ab æquore,
 Et sæui rabies Noti
 Mitescet Zephyris: tympana conuocent
 AEratas acies, armaquè matribus
 Exosa, & medio sæuiat agmine
 Mauortis rigidi furor;
 Hæc mixtas lituis disijciet tubas,
 Et Pallas subitò casside lauream
 Neglectâ capiti nectet, & aureis
 Pax orbem repetet rotis.
 Hæc regnorum apices, fataquè principum
 Impacata rotat, iuraquè ciuium
 Sancit, dein repetit non patiens humi
 Arcis fidereæ plagas.

AD HENRIETTAM MARIAM,
 BORBONIAM,
 ANGLIAE REGINAM.

*Cùm ipsam ex Alba Aula egredientem magna homi-
 num multitudo insequeretur.*

ODE XX.

R Egina Magnæ magna Britanniaë,
 Galliquè, Scotiquè, & celeris pede
 Patrona Hiberni, sponsa regis,
 Nata, soror, genitrixquè regum:
 Quid esse dicam, tu quoties foràs
 Procedis albæ limine curiæ,
 Pugnace deducis tumultu
 Pressam humeris sine lege turbam?
 Misces lacernâ purpuream togam
 Impunè vili, cum duce turgido
 Misces colonum, virginesquè
 Cum senibus, puerisque nuptas.
 Festiua plenis recta oculis micant,
 Voluntquè tecum, ceu Iouis aureas

Dum